

1873

P O L E M I C I.

1874

num et Ludouicum Palatinum pro parte Caesaris, et Joh. Fridericum Saxonem, Philippum Hassum aliosque Ordines foederatos, hoc titulo: *Religion Sachen zu Regenspurg* (ubi agi primum debuisse) *im 32. gebandelt: zwischen dem Hertzogen von Sachsen Lantgraff von Hessen, mit sambt Ire mitverwanten, vnd der Rom: kay: vnd kön. M^t. &c.* Sunt Scripta amoebaea Partium numero XLVI. immixtis ad Caesarem Relationibus et hujus Responsis. Priora quaedam horum Scriptorum leguntur T. V. *Opp. Lutheri, Altenb.* p. 1016. Omnia vero seruiunt ad illustranda ea, quae de prima hac Religionis compositione Sleidanus, Seckendorffius, Hortlederus, Cochlaeus, Schilterus de Pace religiosa &c. ad b. a. tradidere.

II. fol. 165. Excerpta quaedam ex Actis publicis in Comitibus Augustanis 1547. et 1548. publicationem Formulae Interim praecedentibus, inscripta: *Alle die Handlung der Religion vnd das Concilium betreffend, Anno 1548.* Consulendi de his Auctores paulo ante nominati.

III. fol. 177. Compendium Summarium Septem Viarum preparatoriarum ad veram ac stabilem concordiam in fide et religione per colloquium assequendam. Ad oram legitur: *Fabri aut Nausea est hoc Scriptum.* Sed falso; est enim *opusculi* Opusculi ad Praesides Colloquii Wormatiensis auctore Joh. Cochlaeo 1540. quod habes

in Melch. Goldasti *Polit. Imperial.* p. 1211.

IV. fol. 181. *Directio. De Iustificacione, ecclesia et traditionibus humanis.* Etiam istud Opusculum magna moderatione a Theologo tamen Protestante, et fortasse Mart. Bucero, eo fine congestum videtur, ut in Colloquio vel Wormatiensi vel Ratisbonensi deliberationi Partium subserviret. Scriptoris haec est methodus, ut ad singulos Articulos, in quos Tria illa in titulo posita dispescit, Scripturae loca colligat, brevesque inde Adnotationes deducat. Praefationis Initium est: *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito domino &c.* Libelli ipsius: *Status Judaeorum et circa vitam civilem et religionem &c.*

V. fol. 218. Censura Agendorum sive Liturgiae Saxonicae germanica sine auctoris nomine. Incipit: *Primus Articulus agenda. Wie der Mensch vor got gerecht wierdt. Bei diesem Artickell Im A. signita. Zifra 2. spricht die Agenda also &c.* Crifin hanc exertam post publicatum Interim, ut pluries, ita statim ad Art. I. argumento est illud: *Si autem volunt, quod in Iustificatis concupiscentia proprie sit peccatum, male, und ist austricklichen wider das Interim.*

CCCCLXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 679
XVI. Folior. 19. 4. nitidissime scriptus et olim Ambrosia adlatus

1875

C O D I C E S

1876

tus continet Theologi cujusdam Catholici Confilium de repurganda Ecclesia, Mediisque Concordiae, quod Tituli loco ita init: *Quum plerique infoelici hoc nostro Seculo sacrosanctae Ecclesiae antiquitatem, maiestatem, auctoritatem simul atque unitatem, tum propter certos abusos, superstitiones, et alia id genus zizania, quae in eandem irrepsisse uix negari potest; tum etiam propter Ecclesiasticorum uitia, quae et ipsa dissimulari nequeunt, ita impugnent, extenuent, ac misere dilacerent, ut ne dum ipsimet ab eadem in grauiissimum animarum suarum exitium temere recedant; sed et incautum uulgus ex eiusdem unitate in loca plane deserta seducant. Quamobrem uisum est ex multis pauca proferre, quid de hac salutifera Ecclesia, tam sacra scriptura, quam denique sacri Canones, nec non Orthodoxi Patres, atque ecclesiasticae Historiae passim perhibeant testenturque. Itaque Abusus reformandos, corrigendamque Hominum sacrorum uendi licentiam solide, docteque urget Noster, qui aut *Frid. Nausea*, aut *Ge. Wicelius*, aut *Frid. Staphylus* fit, ut jam ad Cod. CCCCLIX. conieci. Post Confessionem certe *Augustanam* et *Wirtembergensem*, quas citat, scripsit. Quae porro in votis habet, diu ante se optasse ait *Bernardum*, *Alv. Pelagium*, *Cardinalem Camerac.* Petrum uidelicet de *Alliaco*, *Card. Cusa-**

num, Nicol. de Clemangis et christianissimum Gersonem.

CCCCLXXII.

Codex chartaceus lat. germ. 546
Sec. XVI. Folior. 36. 4. haec complectitur: I. Tractatum quendam Polemicum, qui incipit: *Cum te Petre, quem mihi charissimum in Christo fratrem optarem, nisi deuia tua a uero catholico sensu in multis probiberet doctrina, audiuissem hic tam in Arce quam domi meae coram multis astantibus de quibusdam religionis nostrae christianae articulis satis erudite ac modeste differentem &c.* Agitur de quibusdam Propositionibus, quas Petrus iste se scripsisse aduersus maniam et sordes Antichristi, uidelicet Pontificis Rom. in earum Titulo adfirmabat, quasque Noster magna cum moderatione, decoroque non passim obvio refellere aggredditur. Quis uero is, quis Petrus, quae Arx illa, ignorare me fateor; neque enim Tractatus, quem imperfectum destituit Librarius, plus lucis adfundit, quam Petrum Scripta sua Hebraicis, Graecisque flosculis conspersisse; ad quae Noster: *nec grece aut hebraice tibi respondebo tum quia in his non fui tantum uersatus, ut sententias dicere aut conscribere linguis illis ualeam. Inter Doctores namque Scholasticos scholastice semper et haec et huiusmodi tractare fui consuetus. — Laboraui, ut literas graecas*